



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

Qvæst. I. Vtrum sacramentum bene definiatur, signum sanctitatis
symbolicum practicum, à Deo pro hominibus institutum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

LIBER DECIMVS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, & in specie, ac primùm de Sacram. in genere.

QVÆSTIO I.

*Virum Sacramentum bene definiatur: signum
sanctitatis symbolicum, practicum, à Deo
pro hominibus institutum?*

VIDEATUR non bene defini. 1. Quia nihil accidentale, sed sola substantia cadit sub definitionem dicente Philos. 7. Met. cap. 4. ad med. *Definitio autem est non si nomen idem, ac oratio significet; omnes enim sermones definitiones essent; rit namque nomen idem cuiusque sermoni; Quare, & illius definitio erit: sed si primi alicuius sit.* Sacramentum autem non est primum aliquod, seu prima substantia, sed concretum accidentale consurgens ex multis non vnitis inter se physicè, ergo non est definibile.

2. Sacramentum significat tum pignus litigantium apud Pontifices in loco sacro repositum; tum iuramentum Diuini Numinis inuocatione conceptum; tum rem sacram latentem, ac mysteriosam propter excellentiam, nec in alia significatione apud probatos auctores usurpatur. Patet autem definitionem datam in nulla ex his significatione sacramento congruere; neque potest esse bona definitio, quæ non exponit sensum nominis iuxta communem aliquam eius usurpationem.

3. Preposita definitio discrepat in multis à definitionibus communiter receptis, & traditis ab auctoribus præcipuis, quales sunt Hugonis de Sancto Victore lib. 1. de Sacram. part. 9. cap. 1. *Sacramentum est corporale, vel materiale elementum, foris sensibilibiter propositum ex similitudine representans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem, & spirituales gratias.* Idemque dicit breuius in summa tract. 4. cap. 1. Magistri dist. 1. initio: *Sacramentum est inuisibilis gratia visibilis forma, eiusdem gratie similitudinem gerens, & causa existens.* Diui Thomæ q. 60. art. 2. ad 2. *Sacramentum est signum rei sacre, in quantum est sanctificans homines.* Suarez disp. 1. sub finem: *Sacramentum est sacra, & sensibilis ceremonia homines aliquo modo sanctificans, & veram animæ sanctitatem ex institutione significans; ac demum in Catechismo Pij V. dicitur: Sacramentum est inuisibilis gratia, visibile signum ad nostram iustificationem institutum.* In quibus patet aliqua exprimi, & aliqua deesse præter ea, & ex his quæ habentur in definitione proposita. Non licet autem definitionibus sapientum communi consensu receptis quidquam addere, aut demere; ne contingat aliquid addi, aut demi rei significatæ per nomen definitum, cuius vtique

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

significatio doctis, & indoctis communis retinenda omnino est, qualis demonstratur ab ipsis, nec est in nouanda pro libito vlla ex parte; maximè cum agitur de re sacra fundamentali religionis, vbi error Logicus Theologicum, maximèque nocentem errorem, secum trahit.

4. To Symbolicum, vel redundat, vel repugnat definito; siquidem aliqua generica similitudo inter rem significantem, & significantem cuilibet signo est necessarii communis; specifica verò, & adæquata inesse rei materiæ cum re spirituali nequaquam potest.

5. Deest è conuerso in definitione ratio *stabilis* exacta à Conink, Meracio, & aliis; tum quia sacramenta sunt discretiua Populi Dei à non Populo Dei, ideoque debent esse stabilia sicut est stabilis Ecclesia Dei: tum quia ob defectum huius solius prædicati non fuerunt sacramenta lotio pedum Apostolorum per Christum, insufflatio in eosdem, & verba illa sanatiua simul, ac sanctificatiua paralitici: *remittuntur tibi peccata tua.*

Art. 1. Respondetur. Tria ista prædicata similitudo symbolica, significatio, & continentia sanctitatis, sunt imprimis communia omnibus antiquis, & nouis Sacramentis existentibus, de facto, & omnia coniunctim non nisi Sacramento inesse possunt, eademque præminent inter omnia alia, quæ Sacramentis conueniunt. De similitudine symbolica sic habet Tridentinum sess. 13. in decr. Eucharist. c. 3. initio: *Commune hoc quidem est Sanctissimæ Eucharistie cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacre, & inuisibilis gratie formam visibilem.* Vbi forma proculdubio ponitur pro representatione, & imagine; siquidem eo sensu usurpatur à Magistro, aliisque Theologis antiquioribus; ex quibus eandem periodum desumpsit Concilium. Significationem, & continentiam sic exprimit sess. 17. can. 6. de Sacramentis: *Siquis dixerit sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam, &c. anathema sit.* Licet autem Concilium loquatur de solis sacramentis nouæ legis, expressè quidem in hoc posteriori testimonio, nec admodum obscure in prioribus; nihilominus quia omnia veteris testamenti erant representationes, & similitudines imperfectæ eorum, quæ cum euangelio induxit Christus Dominus, iuxta illud Pauli 2. ad Col. 17. *Quæ (ritus Iudaici) sunt umbra futurorum,* & ad Hebr. 8. 5. *Qui (antiqui Pontifices) exemplari, & umbra deseruiunt Cælestium;* & c. 10. 1. *Umbra enim habens lex futurorum bonorum,* propterea quæ de sacramentis nouis dicuntur eadem subintelligenda sunt de antiquis, licet modo imperfecto, ac umbratili.

Art. 2. Præterea Augustinus epist. 23. paulò ante finem, vsque adeò adhæret rationi symboli in sacramentis, vt dicat: *Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent;* & immediatè subiungit ex hac similitudine (coniuncta vtique cum institutione

B b

tutione

tutione diuina, *plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipite sacramenta*. Vnde vterius infert fidem vsurpari posse, ac de facto vsurpari pro baptismo, qui est sacramentum fidei. Eadem ratione Alexander p. 4. q. 2. mem. 3. art. 3. lib. *respondeo, quod sacrificia*, in principio, & sine docet non omnia habere aptitudinem ad significandam rem sacram, ac proinde, nec vt ordinentur in rationem sacramenti. Alexandro, ceterisque Theologis prauit Magister loco citato, dicens: *Sacramentum eius rei similitudinem gerit, cuius signum est; si enim sacramenta non haberent similitudinem rerum, quarum sacramenta sunt, propriè sacramenta non dicerentur*. Iam sacramentum, prout de ipso agitur in presenti, includere rationem signi sanctitatis, notius est ex Magistro, D. Thoma, aliisque Theologis in principio huius tractatus, quam vt confirmari debeat adductis sigillatim auctoritatibus. De causalitate non ita omnes conueniunt, sed ea firmabitur q. 19. & sequentibus.

Art. 3. Ista porro tria prædicata ita esse sacramentis omnibus communia, vt solis sacramentis omnia coniunctim inesse possint; eademque esse præcipua inter omnia, quæ iisdem vniuersaliter insunt, apparet satis ex testimoniis productis in tertia ratione dubitandi, & ex Tridentino nuper explicato, exque aliis huiusmodi obuiis apud P. P. & Theologos. Vbi-
cunque enim agunt de sacramentis non secus, ac locis indicatis ea exponunt, & ab omni eo, quod sacramentum non est, distinguunt per tria ista prædicata, exprimendo ea omnia, aut aliquo eorum expresso, & subintellectis aliis: quod argumento est nomine sacramenti ea solum comprehendit, quibus ea prædicata conueniunt: eademque prædicata præeminere ceteris, quæ sacramentorum propria sunt. Alias enim Concilia PP. ac Theologi distinxissent sacramenta à non sacramentis per ea, quæ sunt his, & illis communia; & inde potissimum ea celebrassent, commendassentque fidelibus, vnde sunt minoris momenti, quorum neutrum absque absurditate dici potest. Illustrabitur deinde ampliùs, & confirmabitur istorum prædicatorum præeminentia quidem q. 11. Vis verò distinctiua ab omnibus aliis, quæ sacramenta non sunt q. 24. & 25.

Art. 4. Cum igitur ynunquodque legitime definiatur per sua prædicata præcipua, ac proinde primò, discretiua eiusdem à ceteris omnibus, atque nomine quidditatis intelligatur, quod in vnoquoque est primum, & radix cæterorum conuenientium eidem, atque repugnans omni, quod non est ipsum, patet legitimam esse definitionem sacramenti per rationem signi sanctitatis symbolici, & practici; id est per similitudinem sanctitatis symbolicam, significantem, & inducentem existentiam eiusdem. Quod additur; à Deo pro hominibus institutum, non est omnino necessarium. Cum enim signum ex conceptu suo sit aliquid sensibile, ac materiale, vt liquet ex definitione Augustini lib. 2. de doctr. cap. 1. *Quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cogitationem venire*; atque quod est huiusmodi coniungiturque ex parte termini rei spirituali, ad homines ex sua natura pertineat, posita ratione signi sanctitatis in definitione sacramentorum, eo ipso ponitur realiter in eadem, illa esse pro hominibus instituta. Similiter quia enti naturali, ac materiali nequit inesse significatio, & continentia sanctitatis, nisi ex voluntate diuina, expressis his duobus prædicatis, dicitur re ipsa institutio diuina. Additum nihilominus vtrunque est; tum maioris claritatis gratia; tum maxime quia expressio diuinæ pro hominibus institutionis excitat in animo maiorem de ceteris prædicatis æstimationem, & diuinæ in nos beneficentiæ efficacioris memoriam, adeoque confert pluri-

mum ad expressionem perfectionis propriæ sacramentorum, & finis ob quem existunt, tum denique ob nonnullorum contentiones de connectione priorum illorum prædicatorum cum illis posterioribus.

Art. 5. Definitio in huncmodum exposita, ac stabilita, est vterius exponibilis per istas alias conuertibiles cum ipsa, vt innotescat clarius quæst. 11. 1. nempe *signum symbolicum sanctitatis, ad existentiam homini per hominem significandam, & conferendam, eleuatum à Deo*. 2. *Signum ad hominis per hominem; tum instructionem spiritualem speculatiuam, & practicam; tum sanctificationem à Deo institutum*. 3. *Humana ceremonia sanctitatis naturam ex se referens, eiusdemque existentiam significans, ac inducens ex institutione Dei*. 4. *Signum discretiuum populi Dei per eius illuminationem sanctificationem, seu sanctificationem illuminatiuam*. Sunt, inquam, conuertibiles cum definitione data; quia prima est fere ^{synonyma} cum illa; tres verò reliquæ differunt ab eadem præcisè, quatenus exponunt naturam rei à posteriori per proprietates fundatas in illis aliis tribus prædicatis nihil ante se præsupponentibus, ideoque constituentibus potissimum definitionem.

Ad 1. Scopus Aristotelis in eo loco est; sicut esse, primo ac principaliter dicitur de solis primis substantiis, ita de solis eisdem primo, ac principaliter efferri definitiones propriissimè tales per genus, & differentiam: cæterum sicut esse dicitur nihilominus propriè, & sine metaphora de accidentibus, & concretis quibusuis accidentalibus ex mera plurium aggregatione consurgentibus; ita de iisdem admittit definitiones propriè, & sine metaphora tales, licet secundarias per prædicata eorum essentialia, id est prima, & discretiua ab aliis collecta in genus, & differentiam, si hæc adsit simplex; sin minus, vt accidit in re nostra, in multiplicem differentiam non mutuo subalternam; solumque penitus excludit à ratione definitionis propriæ orationes descriptiuas naturæ rerum per accidentia earum, seu per proprietates accidentales, aliòsque significandi, aut circumloquendi modos, præsertim metaphoricos, non attingentes primam reliquorum omnium radicem, circa quod videri potest accurata expensio Philosophi apud Vasquez in presenti disput. 128. toto cap. 2.

Ad 2. Voces pendunt ab humana voluntate, quoad suam significationem, & applicationem ad has, vel illas res, eaque propter existentem nouitatem in rebus nondum habente nomen, licet nouam vocem fingere: aut nouum vocis antiquæ deuinctæ iam olim rei simili, vsum inducere pro illa significanda. Atque hoc secundum est accommodatius, quando nouitas est supernaturalis; quandoquidem res supernaturales; non nisi ad modum rerum naturalium concipere valemus, ad quem concipiendi modum procliuius traducta ex re naturali assimilari. Cum ergo significatio, & causalitas sanctitatis indita rebus materialibus sit occulta, & sacra, iure suo vsi sunt Theologi, & optimo consilio fecerunt, dum tali effectui significando applicarunt vocem, *Sacramentum*, præditum antea significatione rerum aliquatenus assimilium, quæ recensentur in obiectione. Atque ista facultate innouandi voces, aut vocum antiquarum significationem vsi semper sunt cum laude aliarum etiam inferiorum, ac purè naturalium facultatum professores, teste Cicerone lib. 3. de Finibus.

Ad 3. Hugo de Sancto Victore, & Magister eadem omnia, & sola expriment, quæ in nostra definitione

tionem adhibentur, ut patet, sublata contentione, quæ foret inepta de superficie vocularum, aut summo rigore significationis. In definitione Catechismi, dum exprimitur institutio diuina secundum se, docetur re ipsa ratio signi perfectissimi, & humanæ intelligentiæ summè accommodati; quatenus opera Dei sunt vnumquodque in suo genere perfectissima, & ad fines intentos summè accommodata. Signum autem rei sacræ perfectissimum, & humanæ intelligentiæ summè accommodatum est, quod ex analogia sibi innata præditum est vi speciali manductionis intellectus ad rem significatam. Idem dico quoad eandem partem de definitione Suariana. 1. Quod in ea additur. *Sacra, ac sensibilis cæremonia*: non tam exprimit rationem quidditativam, quam proprietatem sacramenti in eo fundatam, quod sacramentum sit signum sanctitatis ex institutione homini ab homine exhibitum. Quia actio exterior ad sanctificationem hominis extrinsecus ordinata, eo ipso habet rationem sacræ, ac sensibilis cæremoniæ. Quare in nostra definitione adest ratio à priori eius particulæ, & re ipsa eadem particula. In definitione Diui Thomæ, nemo est qui non aduertat aliquid esse subintelligendum præter ea, quæ ab eo exprimuntur. Aliqui, ut Vasquez, volunt signum sanctitatis subintelligi verum, idque à Deo institutum, in quo includitur, uti modo dicebatur, ratio symbolici. Alij, ut Suares, & Valentia, subintelligunt rationem practici. Ego vtrumque subintelligendum puto, idque ex mente ipsius Sancti Doctoris, ut colligitur ex eodem in 5. dist. & art. 1. in fine responsionis ad primam quæstionculam, ac deinceps; ibi enim latè, & distinctè exponit, & approbat omnia, quæ à nobis dicta sunt, eadèque non obscurè colligi possunt ex iis, quæ post illam definitionem obiter tantum datam, nec admodum claram adiiciat art. 6. eiusdem illius quæst. 60.

Ad 4. Similitudo symbolica, seu analogica consistit in quadam proportionalitate ratione cuius res inferioris ordinis excitare valet memoriam rei ordinis superioris, & ad eius vltiorem deinde cognitionem inuare. Eiusmodi autem proportionalitatem cum effectibus sacramentorum non habent promiscuè res omnes.

Ad 5. Nullum sacramentum est in se stabile, ac diu permanens, sed quam citissime transit vna dempta Eucharistia, quæ nec ipsa est durationis valde magnæ. Quod autem sacramentum intrinsecè postulet procedere à causâ, vel serie causarum inuicem, saltem vagè, connexarum, valente proximè per longum tempus iterum, atque iterum illud perficere; adeoque vnum quodvis sacramentum sit intrinsecè diuturnum quoad speciem, in primis non admodum efficaciter demonstratur verum esse. Deinde ut verum sit; nec stabilitas, nec instabilitas pertinent ad conceptum quidditativum cuiusque rei, sed sunt proprietates in aliquo priori prædicato fundatæ. Ob quam rationem præmittuntur nonnullæ aliæ sacramentorum descriptiones, potius, quam definitiones, per eorum varias proprietates, expositæ. Quod attinet ad primam stabilitatis sacramento essentialis probationem; sicut de facto instituta sunt signa discretiua populi mutanda ex natura rei post longum tempus, succedente nouo post verus testamentum; ita institui posse videntur eiusmodi signa, quæ intra breue tempus ex natura rei euanescent: sicut si in fine mundi, propter speciales tunc angustias populi Dei, speciale aliquod sacramentum instituere; ita ut populus Dei ex natura rei habeat semper aliqua signa discretiua sui; sed non necesse sit semper, aut longo tempore ea perseverare. Altera probatio deficit, quia adducit exempla signorum san-

ctitatis non significantium ex præsupposita institutione, nec ex se præcisè, sed ex natura rei ob circumstantiam personæ operantis, aliisque illi adiunctas.

QVÆSTIO II.

Vtrum ratio Sacramenti sit vniuocè communis antiquæ, & nouæ legis Sacramentis.

Affirmant Suarez, Vasquez, Cardinales de Lugo, & Bellarminus, alique moderni passim. 1. Quia Concilium Florentinum in instructione Armenorum lib. quinto Ecclesiasticorum: & Tridentinum sess. 7. can. 2. Sacramenta antiquæ legis ore pleno appellant sacramenta absque vlllo addito diminuentem, non secus, ac sacramenta nouæ legis: Ergo vtrique aequali proprietate, ac proinde vniuocè sunt sacramenta.

2. Florentinum ibidem hoc solum discrimen assignat inter vtrique, quod antiqua non conferebant gratiam, eam verò conferant noua; cum si vniuocè non continerent hoc potissimum debuisset assignari discrimen; alia esse vera, & simpliciter sacramenta; alia secundum quid tantum, & adumbrata.

3. Quod antiqua sacramenta solam conferrent sanctitatem legalem, & externam; internam verò, & veram conferant noua; solum probat effectibus vtrorumque non esse vniuocè communem rationem sanctitatis, non tamen rationem causæ sanctitatis, non esse vtrisque sacramentis vniuocè communem: Quandoquidem vtralibet alterutram sanctitatem, eodem prorsus modo conferunt. Quæ de causâ actioni productiue accidentis, & quæ producit substantiam est vniuoca ratio actionis, etiam apud eos, qui putant rationem entis non esse vniuocam, sed analogam substantiæ, & accidenti. Cætera autem sacramenti; præter causalitatem sanctitatis, esse vtrisque sacramentis vniuocè communia, nemo dubitat.

4. In definitione sacramenti ponitur disiunctiue sanctitas quatenus causata pro legali, vel interna, ut vult Suarez; atque alteram partem disiuncti participant ex æquo alterutra sacramenta. Deinde per vtrique sacramenta significatur practice vera sanctitas, ut infallibiliter conferenda siue de præsentī, quod fit per sacramenta noua, siue de futuro, quod fiebat per antiqua. Quæ differentia non variat rationem practice significationis, & veræ donationis, ac collationis secundum se, ut contendit Cardinalis de Lugo: sicut in propositione, siue sit de præsentī, siue de futuro, non propterea est diuersa ratio veritatis.

5. Causalitas sanctitatis, seu ratio sanctificationis non est de conceptu sacramenti, ut sic, & in communi, ut contendit Vasquez, sed sola significatio sanctitatis; Siquidem prima definitio sacramenti secundum suum abstractissimum conceptum apud Magistrum dist. 1. Est *signum rei sacræ*, & apud Diuum Thomam ubi supra vnica definitio est *signum rei sacræ: in quantum est sanctificans homines*; atque istæ definitiones sunt communiter admittæ. Certum autem est, rationem signi veræ sanctitatis esse vtrisque sacramentis vniuocè communem.

6. Si circumcisio, & similia veteris legis tantum analogicè, & secundariò sacramenta dicerentur; eodem iure, & modo, ac illa dici possent sacramen-